Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

# De legibus disputatio - Cod. Ettenheim-Münster 336

[S.l.], [17. Jahrh.]

§ 3

urn:nbn:de:bsz:31-131792

Visual Library

ex dominio proprietatis a tali, sed tamen iurisdictionis. Tenetur dominus procurare et compensare damna quae per feras agris et fructibus inferuntur. Nec potest prohibere subditis ne feras abigant a fructibus.

§. 3.

## de Contractibus

Conclusio 1. Contractus est conventio inter duos vel plures instituta ultro citroque generans obligationem. Dividitur 1. In contractum sive pactum, quae sumuntur saepe pro uno eodemque; et in hoc solo differunt quod pactum abstrahat num obligationem unam tantum vel utramque partem adstringat; contractus vero utramque partem obliget: nudum et vestitum. Nudum est qui nullam habet in iure firmitatem sed tota illius obligatio respectat ex sola natura conventionis. Vestitus est qui praeter obligationem ex ipsa natura conventionis consurgentem habet etiam firmitatem a iure. Vestitur contractus 1. per impletionem ex altera parte factam. 2. per intervenientem stipulationem. 3. per adiectum iuramentum. 4. Per scripturam. 5. per alium contractum nominatum vel vestitum. 6. per iudicium. 7. Per Privilegium Principis.

2. In nominatum et Innominatum. Nominatus est qui in iure proprium ac speciale nomen habet, ut emptio locatio etc. Innominatus est, qui ca-

ret specialj ac proprio nomine dicitur generalj nomine pactis sive conventio. Ut his quatuor modis: 1.o Do, ut des. 2. Facio ut facias; 3.o do, ut facias. 4. Facio ut des.

3. In formalem et Naturalem sive ut alij in explicitum et Implicitum. Ille est quando duo pluresque expresse in idem consentiunt. Hic, quando partes implicite solum inter se conveniunt.

4. In gratuitum et Onerosum. Gratuitus qui etiam lucrativus dicitur est, qui ex una tantum parte obligationem inducit. Onerosus, qui ex utraque parte obligationem inducit.

5. In contractum bonae fidei et stricti iuris. Ille est, in quo iudex multa potest ex aequo et bono iudicare; qualis est emptio venditio, conductio societas etc. Hic, in quo iudex tenetur iudicare secundum rigorem legis et verba contrahentium qualis est promissio liberalis donationis etc.

Effectus contractuum est obligatio vel naturalis, quae ex ipsa naturali lege et aequitate nascitur, habetque locum in foro conscientiae. vel civilis, per quam ex dispositione Iuris civilis adstringimur ad aliquid praestandum habetque locum in foro civili; vel Mixta per quam obligamur ex aequitate naturali et simul ex dispositione Iuris habetque locum in foro externo et interno.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK gefördert durch Baden-Württemberg

Vitiantur contractus et ipso iure sunt nulli 1. si in-
eantur a personis ad contrahendum inhabilibus,
quales communiter censentur qui bonorum suorum admi-
nistrationem non habent, ut amentes, prodigi, ebrii,
filii familias, uxores, pupilli, minorennes, re-
ligiosi etc. 2. si error aut dolus det causam contractui
sive quod idem est, versetur circa substantiam rei. Ubi
substantia non physice sed moraliter et civiliter su-
mitur; quia saepe accidentia censentur esse de substantia
in materia contractuum solum quoad sensum et vim
moralem, nosse sufficit eandem contractui excepto
matrimonio et professione religiosa.

3. Si desit solemnitas substantialis.
Hinc matrimonium sine praesentia Parochi et
testium, alienatio rei Ecclesiae immobilis sine
consensu Capituli, testamenta sine praesentia
testium a iure requisitorum etc. non valent. Est
autem solemnitas substantialis sine qua contractus nec
licite nec valide potest celebrari. Accidentalis si-
ne qua contractus quidem valide sed non licite
celebratur. Nullum contractum excepto matri-
monio et Professione irritat metus sive gra-
vis sive levis, sive ab extrinseco sive ab intrinse-
co proveniens sive iuste sive iniuste incus-
sus, si tantum ut causa incidens interveniat.
Contractibus potest etiam supervenire irritatio et re-

stitutio in integrum est rei vel iuris quod alijs bonis titulis acquisiverat recuperatio per interventionem iudicis sententiam et habet locum in Restitutionibus onerosis non autem in gratuitis. Restitutio in integrum est reductio alicuius rei vel personae in eum statum in quo ante laesionem fuerat. Et haec est duplex 1.o Alia gratiae, quae ex mera gratia seu ex principis indulgentia proficiscitur, quam proinde inter maiora regalia collocat Christophorus Besoldus in D. de regal. c. 4. thes. 2. de qua hic sermo non est. Alia iustitiae quae legitima causa subsistente alteri debetur vel per viam actionis vel saltem ex officio iudicis, et habet locum etiam contra contractus valide celebratos in varijs personis: et primo quidem in minorennibus qui annum 25.um nondum impleverunt. 2. Militibus quamdiu militiae operant. 3. Ijs, qui Reipublicae causa absunt. 4. Rusticis mulieribus et alijs rudibus, qui iura ignorant. 5.o Ecclesijs, quo nomine etiam intelliguntur hospitalia et loca pia. Reipublicae seu principi supremo respectu bonorum quae ad

Rempubl. in com. l. ad principem ratione principa-
ty spectat. Venit a. nomine Reipubl. quodlib-
et urbs, aut oppidum habens bona com. item
Academia seu Universitate studiorum. de
quibus videri possunt alij Theol. ac Juristae.

Contractus in specie nume-
rantur viginti quinque. et plus.

1. Promissio est actus humanus et liber
inducens gratuitam obligationem ad aliquid
licitum praestandum l. omittendum. Distinguitur
à proposito, quod hoc non inducat obligationem
etiamsi verbis exprimatur: uno etiamsi dicas:
ego promitto me tibi hoc facturum, dummo-
do per hoc verba solum intendas: quod fa-
re sit: significare aj. tui propositum non a. da-
re fidem l. ius aliquod alteri in te con-
ferre. Sed quamvis propositum non inducat
obligationem ex titulo justitiae l. fidelitatis, ob-
ligat tamen sub veniali: nam sine causa deflec-
tere à proposito est actus inconstantiae et
levitatis. Dividitur a. promissio

1. In obligantem titulo justitiae commu-
tativae, et in obligantem titulo solius fidel-
itatis hoc desumendum est ex voluntate promittentis,

et con. ex alicui honore.
2. In eam, quae fit Deo, et in eam quae fit hominibus. Prior dicitur votum, posterior nomen promissionis nomen retinet.
3. In internam et externam.
4. In acceptatam et non acceptatam. Non acceptata dicitur in iure Pollicitatio. Quae omnia per se sunt clara.
2. Stipulatio est contractus verbis initus, quo praecedente interrogatione et congrua responsione subsequente respondens interroganti ad aliquid dandum vel faciendum obligatus fit, si Petrus dicat Paulo spondes mihi sex florenos? et Paulus respondeat spondeo sex florenos.
3. Donatio est datio liberalis. Dividitur
1. In verbalem et realem. Verbalis seu imperfecta est qua quis rem quidem alteri verbis addicit, sed nondum tradit, adeoque parit donatario ius ad rem. Realis est per quam res statim traditur. Et parit donatario ius in re.
2. In gratuitam et remuneratoriam. Illa est, qua quis ex sola liberalitate et munificentia donat: haec est quae fit ex titulo gratitudinis

In beneficij accepti compensatione.
3. In donatione inter vivos et donatione mortis causa. Prior est, quae ante mortem donantis suum sortitur effectum. Posterior, cujus effectus morte donantis consumatur. In dubio praesumitur esse inter vivos, nisi conjecturae evidentes contrarium persuadeant. Possunt autem donare omnes et singuli usu rationis praediti, ~~et qui ad~~ qui bonorum suorum administratione legitime non impediti sunt. Et possunt donari res omnes tam Corporales quam Incorporales. Invalida tamen erit donatio si se extendat ultra summam quingentorum solidorum, hoc est, ut alij interpretantur nongentorum vel mille vel etiam plurium florenorum si fiat sine insinuatione: consistit autem insinuatio in hoc, ut ut donatio ante vel post factum aperiatur, ejus assensus requiratur et in publica acta referatur. Ut autem talis donatio sit invalida debet fieri simul et una quasi ex impetu non autem sensim et per vices. Nec erit invalida si sit remuneratoria si fiat causa mortis vel ad causas pias vel in redemptionem captivorum vel reparationem aedium incensarum vel collapsarum vel si privatus donet principi aut si donet Imperator

**Fideiussio** est alienae obligationis susceptio qua quis se obligat ad satisfaciendum pro debitore principali, si hic non satisfaciat. Requirit quatuor conditiones: 1mo ut accedat alteri contractui, et supponat obligationem debitoris principalis. 2. ut fideiussor non ad plus obligetur quam debitor principalis; nisi fideiussionem confirmet. 3. ut si obligatio principalis sit invalida, fideiussoria etiam non valeat. 4. ut fideiussor non cogatur solvere, nisi prius debitore principali excusso sint, actiones [illegible] constet eum non esse solvendo. Religiosi fideiubere non possunt sine licentia a suo superiore. Clericus saecularis potest, non tamen in damnum proprium, nec in praejudicium Ecclesiae. Si plures fuerint fideiussores, tenentur omnes in solidum. Si unus ex illis totum solverit, potest ab aliis exigere partes proportionales, et ab ipso debitore principali partem suam. Debitor principalis obligatur cum aliis fideiussoribus compensare damna quod eis causa subeunt.

5. **Assecuratio** est contractus quo quis rei alienae periculum suscipit, obligando se vel gratis vel pro certo pretio ad eam compensandam, si pereat. Si nullum adsit periculum et res ubique sit in salvo, hic contractus locum non habet, nec potest pretium accipi, quia esset contractus ubi non est titulus et causa contrahendi. Pretium in hoc contractu iustum est quod vel lege vel consuetudine vel prudentum hominum iudicio taxatum et introductum est, v.g. quinque vel sex floreni pro centum vel etiam iuxta proportionem periculi maioris aut minoris.

6. <u>Emptio</u> est traditio pretii pro merce. 7. <u>Venditio</u> contra est traditio mercis pro pretio nomine mercis intelligitur quaecunque res pretio aestimabilis sive sit mobilis sive immobilis.

actiones et iura, census et chyrographa et quaecunque
tandem pecuniis aestimari et compensari solent. Quod
si merces sint vitiosae vel in substantia vel in quantitate
vel qualitate, committit venditor peccatum et obligatur ad
restitutionem. Si vitium sit notabile merces inutiles red-
dat, tenetur venditor illud aperire; si vero sit mani-
festum, et ab emente facile deprehendi possit, non tene-
tur aperire mercator nisi emptor sit plane stupidus et
rudis; quemadmodum si vitium sit occultum et leve: tene-
tur plerumque diminuere pretium pro ratione vitii. Pre-
tium aliud est legitimum quod per publicam auctoritatem
magistratus constituitur et consistit in indivisibili
ita quidem, ut si quis plus recipiat vel minus det
teneatur ad restitutionem, nisi taxatio sit iniqua.
Aliud est naturale, quod privato et communi hominum pru-
dentium iudicio determinatur et est triplex: supremum,
medium, infimum: intra quorum latitudinem vende-
re licet et emere. Postrema vero regula valoris mercium
metiendi est iudicium mercatorum. Nam uti uni-
cuilibet in sua arte credendum, ita et mercatoribus
in mercium aestimatione. Sunt tamen variae causae pret-
ium augendi vel minuendi: 1. Lucrum cessans aut dam-
num emergens. 2. Penuria vel abundantia mercis,
multitudo aut raritas emptorum et paucitas
vendentium. 3. Expensae ordinariae in parandis
advehendis, conservandis mercibus factae: non item ex-
traordinariae, quae per extraordinaria infortunia
vel imprudentiam mercatoris sunt effusae. 4. Singularis

effectus et oblectatio ad rem quam vendit, quae tamen emptori
venditori indicanda est. 5° Subhastatio, seu
venditio sub hasta, vulgo die Versteigerung
in qua licet accipere rei pretium, quantum offertur,
etiamsi duplo rei valorem excedat aut non adaequet.
6. Modus vendendi quo res minutim et per
vices plures emuntur, maiori pretio ob maiores
labores vendi possunt. 7. Occultum mercandi. 8.va
Solutio dilata. Neutrum [illegible] mercatoris est iusta
causa augendi pretium nec minuendi etiamsi ven-
ditor merces pretio non egeat.

8. Negotiatio est, quando quis rem aliquam
sibi comparat eo animo, ut eam integram et non mu-
tatam cum lucro vendat vel permutet. Et haec est ne-
gotiatio proprie dicta: improprie dicta est,
quando quis emit, ut per industriam et laborem
mutatam ac vendat. Utraque est licita. Prior tamen
est prohibita Clericis et Religiosis sub poena ex-
communicationis suspensionis depositionis amissionis pri-
vilegii immunitatis a tributis etiam [illegible] cle-
ricalis, post trinam monitionem; quamvis hae poe-
nae non sint latae sed ferendae sententiae. Si tamen
Clericus vel Religiosus unum duntaxat alterumve
actum negotiationis exerceat, non peccabit mor-
taliter nec incurret praedictas censuras; quia iura
prohibentia negotiationem loquuntur de iis qui ass-
idue vel ex professo negotiari instituunt. Possunt

tum licite negotiari per alios, praesertim si totus labor illis relinquatur; aut per se, si se absque sustentare non possint.

9. Monopolium est conventio quaedam de mercibus non nisi certo modo vendendis aut emendis. Aliud est, quod publica auctoritate constituitur, quando unus vel plures obtinent a Magistratu ut ipsis solis liceat aliquod genus mercium vendere. Et hoc est licitum, ita tamen ut Magistratus Monopolis taxet iustum pretium, quoad res necessarias sine quibus vita civilis non potest consistere non autem circa arbitrarias, aliud est quod constituitur privata auctoritate quando aliqui inter se conveniunt de mercibus certo modo vendendis et semper aut plerumque est illicitum, quia semper violatur vel iustitia vel charitas vel utraque simul. ut, si plures inter se conveniunt de mercibus non nisi summo pretio vendendis aut si nonnulli tempore messis vel alias emunt copiam frumenti aliasque merces ac tamen retinent nec volunt vendere donec crescat pretium. aut si impediunt, ne alii merces inferant in urbem ut ipsi suas carius possint vendere.

Depositum est contractus in quo res aliqua alteri custodienda traditur. Aliud est purum, quando scilicet res accipitur in custodiam mere gratuita. Aliud mixtum quando aliquid solvitur depositario pro

custodia l. alio pacto acquit. Speciem deposi-
tum habet sequestrum, quod tum datur quando res
controversia qua litigatur apud aliquem deponitur redd-
enda victori lite finita. Interim si res sit
usu consumptibilis poterit ea depositarius uti
modo sit certus, quando deponens repetiturus
est tantundem posse restituere.

Commodatum est contractus quo res aliqua
gratis creditur ad certum usum et tempus ea
lege ut eadem ipsa in specie finito usu resti-
tuat.

Precarium est contractus in quo gratis con-
ceditur usus alicuius rei ad petitionem alterius do-
nec concedens repetierit.

13. Locatio est contractus, in quo rei usus
l. fructus l. opera pro certa mercede conceditur.
14. Conductio v. est contractus in quo rei
usus l. fructus l. opera pro certa mercede acci-
pitur. Est autem alia locatio rerum alia factorum:
illa est, quando quis fundum, domum aliasve
similes pro certa pensione alteri elocat.
haec, quando quis operas pro certa mercede
alteri praestare promittit.

15. Emphyteusis est contractus, quo res immo-
bilis alicui ad longum tempus creditur cum pleno usu-

frui, pro annua pensione Dno reddenda. Si
emphiteuta pensionem non solvat per triennium, aut
in emphiteusi ecclesiae per biennium, vel si possessio-
nem deteriorem reddat vel alienat ius emphiteuticum
sine consensu Dni, emphiteusis fit caduca, amit-
titque reditus ad Dnum cum omnibus melioramentis fac-
tis. Opponuntur a. bonis emphiteuticis allodia
seu bona allodialia, quae sunt bona seu praedia
propria sine cognitione alterius Dni, dicuntur Ger-
manice freij eigene Gütter.

16. Feudum est contractus quo dominium utile rei
immobilis alicui conceditur pro fidelitate et obsequio
personali exhibendo. Qui rem concedit dicitur feu-
dator vel infeudator; cui vero conceditur feuda-
rius aut vasallus. Huc pertinet etiam contractus
libellarius et superficiarius: hic est qui non con-
cedit praedium aut fundum ad fruendum, sed so-
lam superficiem ad aedificandum vel plantandum:
qua ratione mercatores in nundinis certam plateae
partem ad sua tuguriola exstruenda conducere
solent. Subemphiteuta est quo emphiteuta vel feudata-
rius qui non habet dominium directum suam emphi-
teusim vel feudum alicui tertio pro pensione sibi
numeranda tradit. Sed de his contractibus ac pre-
cipue de emphiteusi ac feudo consule Engelium
hoc tit. 10.

17. Pignus est contractus quo creditori res ali-
qua traditur, ut sit obligata in securitatem
debiti. 18. Hypotheca vero est quando res
obligatur quidem sed non traditur. Illud in rebus mo-
bilibus, hoc in immobilibus locum habet. Possunt
autem in pignus vel in Hypothecam dari res omnes ex-
ceptis hoc, libris, stipendiis publicis militum
instrumentis aratoriis et animalibus ad aran-
dum destinatis et rebus sacris nisi hoc casu ne-
cessitatis, pietatis ad captivos redimendos, vel ada-
lendos pauperes aut spe maioris utilitatis op-
pignorentur. Creditor, si debitum constituto tem-
pore non solvatur, potest pignus vendere, et quod
superest restituere debitori.

19. Mons pietatis est thesaurus seu cumu-
lus pecuniae collectus a piis hominibus, ut inde
pauperibus gratis mutuum detur, ita tamen ut sortem
praefixo tempore reddant et aliquid tribuant
pro expensis, quae fiunt in conservatione ministrorum
et ipsius montis. Est licitus, nec involvit
ullam speciem usurae: licet enim aliquid exigatur
a mutuatariis, id tamen exigitur non ratione mutui
sed ratione expensarum quae fiunt v.g. ut plurimum qui-
nque unciae vel tres floreni per annum, nec alia
sunt exigenda citra auctoritate principis vel Magistratus
interveniente.

20. Cambium est permutatio pecuniae pro pecunia; dividitur in siccum et reale. Siccum est ex quo non potest hic lucrum licitum et iustum, quia non distinguitur a mutuo. Reale est ex quo licite lucrum aliquod haurit. Et subdividitur in Manuale et Locale. Manuale seu Minutum est in quo permutatur pecunia praesens cum praesente minus bona cum meliori vel secundum formam, materiam vel aliam utilitatem et ex hoc licet capere lucrum ob officium cambiendi, damnum emergens et lucrum cessans, laborem quem adhibet in pecuniis numerandis commoditatem monetae etc. Locale seu Cambium per litteras est in quo permutatur pecunia praesens cum pecunia absente alibi restituenda. Etiam ex hoc potest accipi lucrum ob virtualem translationem, observationem, lucrum cessans et damnum emergens.

21. Contractus Societatis est conventio duorum aut plurium ad conferendum aliquid in commune lucrum. Est licitus, si singuli socii aliquid contribuant et lucrum dividatur iuxta proportionem Geometricam eademque in damno servetur.

22. Ludus est contractus quo ludentes inter se paciscuntur ut victor accipiat id quod vel a colludentibus vel ab aliquo tertio depositum est. Est licitus iure naturae; imo si honeste fiat

spectat ad virtutem Eutrapeliae: modo ludentes de rebus a se possessis possint libere disponere et absint fraudibus, alter alterum ad ludendum non pertrahat iniusto metu, fraudibus, minis, conviciis.

23. Sponsio est contractus in quo duo vel plures de veritate vel eventu alicuius certantes sibi invicem aliquid spondent, dandum ei, qui veritatem fuerit assecutus. Est licita, si quis in controversia incertus sit de rei veritate.

24. Mutuum est contractus realis quo res mea ita datur ut fiat accipientis et similis in specie ac bonitate postea reddatur. Possunt autem mutuo dari et accipi vinum, oleum, frumentum, pecunia, atque alia pondere mensura et numero constantia usuque consumptibilia. res non usu consumptibiles dicuntur potius vendi, locari, commodari. Si reddatur res alterius speciei v.g. vinum pro oleo, tum non proprie mutuum erit sed permutatio.

24. Usura est mutatio in pacto ut reddatur aliquid pretio aestimabile supra sortem. Est illicita non tantum iure positivo, sed etiam iure naturali et proprie consistit in hoc si quis

ex pacto seu titulo iustis aliquid supra sortem exigat praecise ob carentiam pecuniae, l. ob solutionis dilationem. Hinc si adsit titulus gratitudinis, amicitiae, damni emergentis lucri cessantis, usura non erit. Unde Alexander VII. hanc propositionem recte damnavit. Licitum est mutuanti aliquid supra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus. Dividitur usura

1. In mentalem et realem. Mentalis est quando quis dat mutuum cum intentione accipiendi lucrum supra sortem, nec tamen illam intentionem exprimit. Realis, quando quis dat mutuum cum pacto explicito l. implicito de lucro supra sortem recipiendo.

2. In Apertam et Palliatam. Aperta est, quando quis expresse petit lucrum supra sortem. Palliata, quae in aliquo contractu intercedit, licet prima fronte non appareat.

26. Antichresis. Est contractus, quo inter debitorem et creditorem convenitur, ut creditor utatur re oppignorata v.g. villa, agro, horto, ac fructus inde tamdiu percipiat donec sors restituatur. Et vocatur contractus Antichreseos, apud Germanos ein Pfandtschafft.

Et per se usurarius et illicitus nisi-
ni per accidens excuset, in ratione lucri cessan-
tis vel damni emergentis aut ex alio iusto ti-
tulo. Poterit autem omnis evitari labes usurari-
a, si res non detur in pignus sed vendatur pro
debito, cum pacto retrovendendi si reddatur i-
dem pretium.